DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PNEUMONIA:
QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS HENDERSON,
SCOTUS;
CHIRURGUS.
SOCIETATIS REGIAE PHYSICÆ EDINENSIS SOCIUS EXTRAORD.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
MDCCCXXII.

JACOBO MACBRAIRE,

ARMIGERO DE TWEEDHILL,

HAUD MINUS

OB PERPETUAM EJUS BENIGNITATEM,

QUAM

INNUMERA BENEFICIA ET CONSILIA,

IN EUM COLLATA;

HOC TESTIMONIUM

LICET PEREXIGUUM

CONSECRAT

GUL. HENDERSON.

FRATRI SUO CARISSIMO

JOANNI HARDIE, ARMIGERO,

HOC OPUSCULUM

PARVUM SED SINCERUM TESTIMONIUM

OB MULTA BENEFICIA IN EUM COLLATA

ANIMI HAUD INGRATI

LUBENTISSIME OFFERT,

AUCTOR.

JACOBO RUSSELL, ARMIGERO,

SOCIETATIS REGIAE EDINENSIS SOCIO

CHIRURGIAE CLINICAE IN ACADEMIA JACOBO VI.

PROFESSORI

COLL. REG. CHIRURG. SOC.

&c. &c.

JOSEPHO BELL, ARMIGERO,

COLL. REG. CHIRURG. SOC.

NECNON

NOSOCOMII REGII EDINENSIS

CHIRURG.

HAS PAGINAS

SUMMA CUM OBSERVANTIA

DICAT

ALUMNUS

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PNEUMONIA.

AUCTORE GULIELMO HENDERSON.

Pro themate Pneumoniam selegi, quippe quae malum sit quod postulat summam attentionem medici, haud minus propter frequentiam, quam gravissimos effectus. Fere nullus morbus magis periculosus est, et pauci quibus medica ars plus levaminis adferre valeat. Nulla pars corporis, quam pulmones, saepius inflammationi patet, et organa sunt, adeo necessaria vitae, ut non possint interrumpi per brevissimum tempus sine instantis mortis periculo. Pneumonia bene a celeberrimo Cullen definitur, " Pyrexia,

" dolor in quadam thoracis parte, respiratio " difficilis, tussis;" et dantur ab eodem duae species, nempe Peripneumonia et Pleuritis; in prima specie inflammatio putatur occupare pulmones ipsos, et in pleuritide, pleuram, pulmones, vel internum thoracis occupare, sed sane talis distinctio levis momenti est, quod omnes fere eandem rationem medendi postulant.

MORBI HISTORIA.

Pneumonia plerumque hieme et vere, saepe autumno, sed raro aestate, semet ostendit. Post mutationes caeli subitaneas, frequentissime invadere solet. Ei magis patent adulti, quam juniores, mares quam foeminae, et ii, qui temperamentum sanguineum habent. Primam Pneumoniae accessionem plerumque designat paroxysmus febrilis, et languorem, lassitudinem, aliquando anorexiam, nauseam, etiamque bilis vomitionem, cum doloribus fugacibus, qui in cor-

pus universum se diffundunt, sentit aegrotus. Deinde horrores frigidi accedunt, calor auctus, sitis, anxietas, respiratio celeris, capitis dolor, pulsus durus, plenus et frequens, et alia pyrexiae signa excipiunt. Postquam haec signa paucas horas manserunt, spiritus magis difficilis et laboriosus evadit, et aegrotus dolorem, in aliqua thoracis parte, percipere incipit. Dolor plerumque acutus est, interdum tamen obtusus est, et sensus potius oppressionis et ponderis, quam doloris. Difficultas spirandi, in latus affectum cubando intenditur; quanquam contrarium nonnunquam incidit. Quidam dorso incumbere coguntur, et aegroti, nonnullis in exemplis gravioribus spiritum, nisi in positura erecta, trahere nequeunt. Dolor inspiratione, sed magis etiamnum tussi, quae fere constanter urget, adaugetur. Sub initium tussis est sicca, et quod expuitur tenue, opacum, et coloris expers est. Morbo progrediente, tussis humidior evadit, sputum magis spissescit, et colorem albidum, flavum vel etiam viridem sibi assumit. Non

raro sanguine tingitur. Nonnunquam, in aliquantum temporis, ex toto cessat.

Si progressui morbi, ante tertium vel quartum diem, non occurratur, signa multo graviora evadunt. Calor et sitis intenduntur; pulsus durior, valentior, et plenior fit; facies tumescit, et purpurascit, oculi inflammantur, dolor capitis ingravescit, et coma vel delirium accedit. Tussis quoque plus molestiae aegrotanti facessit, et omnia signa graviora reddit.

MORBI TERMINATIONES.

Pneumonia, Resolutione, Suppuratione, Gangraena et Effusione plerumque terminatur.

1mo, Resolutione,—Pneumonia raro resolutione terminatur, nisi ventris fluxu, profusione urinae sedimentum copiose deponentis, vel sanguinis e naribus, aut venis

haemorrhoidalibus, comitata. Materiei concretae, albidae, subflavae, aliquando sanguine tinctae, excreatio, ubertim quoque et facile ejectae, et simul dolorem levantis; spiritus item commodior, evanescens febris, et demum aequus calor cum placido sudore in corpore late diffusus, Pneumoniae resolutionem antecedere consueverunt. Tempus hujus finis incertum est.

2do, Suppuratione, Rigores, pulsus semper mutabiles, quanquam plerumque frequens, dyspnoea gravis, tussis frequentior, molestiae sensus in latere affecto, decubitus in latus sanum difficilis, et denique doloris remissio, abscessum formari clare testantur. Suppuratione jam penitus condita, febris hectica aegrotum deprehendit. Vel conflictatur cum hac febre, ad mortem usque, vel abscessus jam sese rupturus materiem diffundit in pectus, aut in pulmonum cellulas, quod cito lethale est.

3tio, Gangraena,—Haec terminatio ra-

rissima est, et non nisi in morbo lethali, aegrotis fere moribundis obvenit.

4to, Effusione.—Haec est finis longe creberrimus cum morbus eventum funestum habet. In sero vel sanguine, vel utroque plerumque, in bronchia cellulasve pulmonum aëriferas, vel in cavum thoracis e vasis exhalantibus dilatatis vel ruptis, elapso consistit. In cadaverum incisione, crustam firmam, aliquando mollem, quae ut pulmones, pleura et mediastinum cohaereant, facit, gluten effusum formare saepe reperitur. Signa quae hunc eventum designant, sunt, vires subito et insigniter prostratae, faciei livor, cessatio doloris repentina. Sputum suppressum, spiritus admodum difficilis et sensus oppressionis fere intolerabiles haec signa, brevi, mors ipsa sequitur.

DIAGNOSIS.

Morbi cum quibus Pneumonia confundi potest, sunt, Peripneumonia Notha, Hepatitis, Rheumatismus, et Carditis.

Peripneumonia Notha homines, senio et intemperantia fere confectos, plerumque invadit; hieme saepius accedit, et signa, multo mitiora, catarrhum potius referunt; sensus ponderis potius quam dolor fixus adest, et sputa per totum mali decursum, quam in Pneumonia, liberius prodeunt.

Hepatitis.—Signa haud dubia Hepatitidem a Pneumonia fere discernunt. In Hepatitide enim alia est morbi sedes, latus dextrum semper laborat; pars affecta nonnunquam tumet; et dolor summum humeri dextri petens, pressura vel decubitu in latus sinistrum augetur. Febris mitior, in hac saltem regione, Hepatitidis comes est, vomitus et singultus ei interdum superveniunt, et cutis saepe colorem flavum induit.

Rheumatismus.—Ista species rheumatismi, quae musculos inter costas occupat, Pneumoniam nonnunquam mentitur. Signa autem in rheumatismo multo mitiora sunt, et nonnulla, ut gravis spirandi difficultas et tussis assidua desunt.

Carditis.—In carditide signa valde obscura sunt, tussis enim molesta, et dyspnoea utrisque communes existunt, feliciter autem evenit, ut hi morbi diagnosi accurate institutâ vix egeant, cum eandem fere medendi methodum postulant, palpitatio et syncope cum pulsu magis abnormi, carditidem comitantur.

PROGNOSIS.

Pyrexia vehemens, vel respiratio valde difficilis periculum haud parvum denotant. Si facies turgida evadit, oculi rubri et suffusi, labia acida, cum sudoribus circa caput, collum et pectus erumpentibus, deliria, et

pulsu celeri et irregulari, aeger haud facile e tanto discrimine resurgit. Tussis frequens et sicca, dolor acutus, ex uno latere ad alterum lancinans, vel partem primum affectam destituens, ad aliam translatus; magna inquietudo et anxietas; urina limpida et copiosa; spiritus subito citatus, aliis signis mitescentibus, morbi gravioris timorem jure incutiunt. In eo genere, quo magis urget spirandi difficultas, in statu magis lubrico versatur aeger.

Finem huic morbo felicem saepissime attulerunt sputa materiae viscidae et subflavae copiosa, libera, sine tussi vehementi facile educta, sanguine nonnihil tincta. Febris quoque imminuta, dyspnoea minis gravis, sudor copiosus et universus, eruptio erythmatica, in quavis parte externa oborta, urina turbida sedimentum copiose deponens, sanguinis fluxus e naribus vel e venis haemorrhoidalibus, nec non aliae evacuationes morbi cursum feliciter praeciderunt. Si Pneumonia lethalis evasura est, aeger plerumque

inter tertium et septimum morbi diem ei succumbit, ut CULLENUS monet. In nonnullis autem exemplis, aegri haud tam cito pereunt, si enim signa mitiora, sine ulla notabili remissione, usque ad diem decimum vel decimum quartum perstiterint, suppurationis factae, vel instantis summum imminet periculum. In prognosi itaque statuenda, ad morbi durationem sedulo respicere multum interest.

DE CAUSIS PNEUMONIÆ.

TEMPORA anni aeque ac coeli varietates subitas ad morbos excitandos plurimum juvare, neminem latet. Idcirco per autumnum, terris sub septentrione positis periculum maximum est. Hic morbus temperamento sanguineo praeditos prae reliquis aggreditur, saepe etiam rusticos, et " duro jam " fractos membra labore." Sequitur, ut omnia quae plus minusve ad constitutionem sanguineam faciendam valent, corpus Pneu-

moniae obnoxium reddant. Juvenes plerumque potius quam aetate provectiores, tentat viros quam feminas. Multi opinati sunt ad hoc vitium pectus angustum propensionem dare. Sanguinis mora a pulmone ad cor redeuntis, opportunitate ad congestum faciendum data, aliquando morbum movere consuevit. Omnes nervos contendisse dicendo, cantando, summum montem nimis celeriter petendo, fistulam tubamve inflando, haud dubie Pneumoniae locum saepe praebet. Porro etiam arsenici, sulphuris, acidi muriatici, et aliorum admodum nocentium vapores, inter causas morbi ultimas haberi juste debent. Haud raro annectitur Pneumonia ad phthisin, erysipelas, haemorrhoidem, scorbutum et anginam. Catarrhus saepe rubeolaque in Pneumoniam gradatim labuntur. Interdum, sed perraro, malum publice grassatur, aliquando corpus ei assuetum fit. Frigus admotum corpori calefacto frequentissime causa Pneumoniae est. Unde necesse est ut cutis exhalatio impediatur, astrictis vasis extremis, et spiraculis

cutis frigore occlusis. Cutis pallor simul adest; ex quo intelligitur vasorum contractionem modo dictam intus penetrare, et sanguinis circuitum externam aliquatenus impedire. Exhalatione per cutem et sanguinis circuitu in superficie corporis ita obstructis, materia perspirabilis, et ipse sanguis ad interiora, praecipue pulmones, impelluntur. Unde fit congestus. Hic sane pulmonum vasis stimulo est, insequitur commotio corporis totius. Natura ad sanitatem spectans febrem excitat; quae tametsi ad exhalationem liberam restituendam semper satis convenit, raro congestum internum tollit. Hic contra crescit, inflammationem movet, signaque pneumoniae cito parit. Eodemque modo de congestu in pleura alisque partibus vicinis judico. Hac ratione Pneumoniae explanari potest, quandocunque a frigidis ventis ad virum calefactum adspirantibus, a potu gelido, et coelo admodum variante, rectà profluit. Ictus lapsusque graves, pulmonum vulnera ac omnia hisce similia, inter causas mali exci-

tantes, de quo disputamus, recenseri rectè solent.

SECTIO CADAVERUM.

Cadaveribus sectione inspectis, pleura naturali crassior ; et quodammodo spongiosa invenitur. Plurima vasa minima, sanguine fluido scatentia, superficiem ejus obsidentia reperiuntur. Lymphae quoque coagulabilis pellicula superficiem ejus obducit. Hujus strati crassities varia est. In thoracis cavitate invenitur fluidum serosum, in quo multae lymphae coagulabilis laminae suspensae observantur. Interdum cum hocce fluido commiscetur pus. Adhaesiones pleurae pulmonalis, et pleurae costalis ; quae a fluido interposito lymphaque coagulabili efficiuntur, apparent. Haec lympha in telam cellularem vertitur, vasaque ejus cera liquida ita distendi possunt ut manifestò videantur. In multis hominibus post mortem adhaesiones pleurae pulmonalis et pleurae

costalis observantur, quamvis dum viverent, nulla signa inflammationis sese prodiderant.

RATIO MEDENDI.

In hujus morbi tractatione regimen antiphlogisticum sedulo adhibendum est. Omnes causae summa cura evitandae sunt, quae sive mentem, sive corpus, irritare inveniantur.

Sanguinis detractio libera et saepe repetita, in plerisque hujus morbi exemplis, remedium ei maxime accommodatum est; non tamen in omnibus casibus ad id confugere licet; hos autem recte discernere prudentis et exercitati medici est, vel si sanguis mittendus est, modum statuere. De hac re nulla regula generalis tradi potest, nisi ut vires aegri sedulo perpendamus; nec etiam hic deest omnis errandi causa, nam exempla subinde occurrunt, cum magna debilitate conjuncta, quibus tamen vena caute pertusa summum auxilium afferat. Ideo

copia sanguinis emittendi pro morbi vehementia, et aegri viribus, metienda est, donec dolor et spirandi difficultas aliquantum sese remiserint. Sanguis ex amplo vulnere subito detrahendus est, donec arteriarum pulsus semet submittant, vel proclivitas ad animi deliquium superveniat. Raro evenit, ut una sanguinis detractio, utcunque ampla, morbum vincat; saepe enim dolor, et spirandi difficultas, quae sanguinis missio mitigavit, pristinis viribus brevi redeunt; quod si accidat sanguis eâdem copiâ iterum detrahendus est, etiamque si res postulet, eodem die repetatur. Aegri saepenumerò secundam vel tertiam sanguinis detractionem melius quam primam ferunt. In aetate valde provectâ hoc remedium parum idoneum est, nisi signa inflammatoria vehementèr urgeant; tunc cauta sanguinis detractio pro signorum ratione et aegri viribus instituenda est. Nam in omnibus fere exemplis sola salutis redeuntis spes ex hac evacuatione prudenter facta pendet. Dr. Gregory trium dierum spatio sanguinem ad octoginta vel etiam centum uncias detraxit.

Epispastica.—Vesicantium usus primis morbi diebus, frequentem sanguinis detractionem saepe minus necessariam reddit. Epispasticum amplum adhiberi debet statim post primam sanguinis detractionem ; vel si admoveatur principio, sanguis educendus est priusquam irritationem excitet.

Digitalis Purpurea.—Hoc remedium summi momenti esse videtur, in pulmonum et thoracis morbis inflammatoriis depellendis, si post primam venaesectionem et vesicatorii applicationem adhibeatur. Primum arteriarum pulsus minus validos et frequentes reddit, et tussim compescit ; unde utilissima evadit in hujus morbi curatione, praesertim quum in provecta aetate occurrit. Morbi principio adhibita, saepe (etiam) alteram sanguinis detractionem et in multis exemplis tertiam supervacaneam reddit. Quoniam in hoc morbo vomitus periculo haud vacat, et quoniam ex hujus remedii usu hic effectus interdum oritur, nisi cautissime adhibeatur : ut dosis accuratius definiatur, tincturam adhibere me-

lius erit ; namque ejus ope, aeque ac pulveris usu, signorum remissio obtineri potest.

Potus lenes, diluentesque tepidi hauriri possunt, quidam praecipiunt in iis ut solvatur nitrum, vel admisceantur acida, horum autem prius, quoniam revera nullius momenti est, omittere praestabit.

Purgantia in hac, haud secus quam in aliis inflammationibus, quae sanguinis detractione egeant, utilia reperiuntur, etsi quidam medici de iis in Pneumonia tuto adhibendis, propter gravem irritationem, et sputa exinde repressa, dubitarunt ; et sane diarrhoea sub initio hujus morbi sponte mota raro aliquid auxilii attulit. Cathartica leniora ex iis, quae refrigerant, parata, beneficio haud carent ; intestina enim ex materia acri et stimulante satis purgant, et sanguinem e capite et pectore inferiora versus avertunt. Enemata emollientia ad alvum laxam tenendam bene conveniunt.

Expectorantia.—Parum utilitatis ex iis

expectandum est. Substantiae mucilaginosae utiles esse possunt, materiam extussitam meliorem reddendo, et partes a materia irritante defendendo. Nullus bonus effectus unquam derivatur ex expectorantibus gummi-resinosis, veluti assafoetida, ammoniaco, galbano, etc. Aquae calidae vapores in pulmones inhalati, longe utiliores sunt. Expectorantia antimonialia, quippe quae vomitum inducere minentur potius omittenda sunt.

Emetica.—Haec non sine magno periculo adhiberi possunt. Boni effectus ex nausea quam gignunt oriundi, ex aliorum remediorum usu, quae his praestant, obtinere possunt. Emetica eâdem dosi administrata, effectus adeo diversos in diversis hominibus praestant, ut ex minimâ dosi vomitus accidere periclitetur.

Opiata, ineunte hoc morbo, antequam sanguinis detractio et epispastica dolorem et respirationem difficilem sublevârint, po-

tius nocent, et expectorationem male cohibere dicuntur; in provectiore autem Pneumoniae gradu, cum tussis potissimum molesta dolorem adauget, et somnum interpellat; Opium una cum remediis expectorationem moventibus maximo cum beneficio adhibetur. Mucilaginosa quoque tussim deliniunt.

Diaphoretica.—Etsi hic morbus sudore sponte aborto interdum solvatur, haec evacuatio vix unquam arte excitanda est. Per totum hujus mali decursum, aeger in lecto detinendus est, capite et humeris, quantum fieri potest, elevatis, cubiculum, in quo decumbit, in media temperie servandum est. Vires cibo leviter nutriente sustinendae sunt, et potus tepidi, tenues, et diluentes, cum acidis vegetabilibus commisti pro libito propinandi. Ab omni frigores accessu diu cavendum, et omne intemperantiae genus fugiendum ; non alia enim inflammatio ad redeundum adeo proclivis existit.

FINIS.